



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Præfatio Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)





# PRÆFATIO

Ad Lectorem.

**I**NSCRIPTIO huius operis, Optime lector, non est noua, aut à me ipso primùm inuenta, sed à Richardo Victorino, doctore grauissimo, mutuata; qui primam tractationem suorum operum, *De Exterminatione mali, & Promotione boni*, voluit inscribi. Ambòque ex Sancto Dauide eandem accepimus, de itineribus beatæ vitæ dicente, [Diuerte à malo, & fac bonù:] quas esse Iustitiæ, seu Virtutis partes Augustinus edocuit. Congruit inscriptio siue titulus argumento: quoniam cum vitam spiritualem in actricem & contemplatricem, & ex utràque compositam, sciamus esse distinctam; his quinque libris de vitâ actricis tractamus, cuius est peccata fugere, vitia exterminare, sensus comprimere, affectus cohibere, ac tentationes vincere, quæ ad mali vitationem pertinent: & Virtutes, animæ ornamenta conquirere, sanctosque ac bonos mores excolere; quibus vniuersa boni effectio completur. Hos autem Liæ, scilicet vitæ actiuæ, conatus sollicitos non sine labore susceptos, Rachelis, id est, vitæ contemplatiuæ, dulcissimi sequuntur amplexus, quos (si Deus votis nostris annuerit) & fructus eorum ad vitam mistam spectantes, quinque aliis libris exponemus. At in hoc opere à crassioribus inchoandum est; quia disciplina spiritus, perinde ac externæ disciplinæ, quædam principia notiora habet, & omnibus peruia, quæ nobis totam hanc scientiam ex professo scribentibus non fuerunt prætermittenda. Nonnulla, quæ satis nota videntur, Patrum auctoritate firmamus; quia, quod vni certum est, alteri aut est profusus ignotum, aut certè contemptui habitum; quia illud putat ab hominibus simplicibus dictum, non à sanctissimis & sapientissimis viris assertum. Metaphoris, Allegoriis, similitudinibus, & rationum copiâ delectamur; sic enim huius doctrinæ præceptores antiqui eam exposuerunt, vt sapientibus & insipientibus se cum Paulo debitores profiterentur, & variis ingeniis multa & varia proponerent, quorum hæc istos, alia verò illos ad studia Virtutum incitarent. Stylum non nimis pressum admisimus, ex eo quòd non tantum docere, sed persuadere etiam, & ad virtutem mouere contendimus. Exquisita autem breuitas si aliquantulum eruditos docet; at ineruditos non docet, & fere neminem mouet. Verumque est illud cuiusdam: [Dum breuis esse laboro, obscurus fio.] Ne verò in re tam seriâ, ac animabus necessariâ obscuri, & affectuum steriles simus, ferat, obsecro, eruditus quisque, vt stylum, pressiorem sanè quàm in primo Tomo, nonnihil tamen pro minus sapientibus effundamus. Ac tandem (ò lector) si quid inueneris in hoc opere, quod te doceat, quod ad Virtutem alliciat, ad perfectionem impellat, ad studiùmque orationis & contemplationis præparet, Deo, qui omnium bonorum dator est, acceptum feras: si quid verò à nobis prodesse cupientibus erratum fuerit, ignosce. Vale.

*Psal. 33.*

*Aug. lib.  
de Corr.  
& gratia  
c. 1. 10. 2.  
7.*

APPRO